[illegible]genda [illegible]

Generose Domine 1

Generose Domine Lukaszkiewicz.

Amice Mi: Generos

Opuscula in his Miscellaneis sub N°. contenta sunt.

Authores

NVBES HIPPOCRATIS.

Clarissimo ac Doctissimo Viro,

D. ANDREÆ WOLFOWICZ.
Philosoph. & Medic. Doct: digniss.

DVM

Venerabilis & Eximius Vir, Filius eius,
MARTINVS STANISLAVS WOLFOWICZ:
Secundæ Laureæ LICENTIATVS
IN AVLA D. IAGELLONIS
renunciaretur.

A

M. THOMA CANEVESI, Seniore Scholæ
B. Mariæ Virg.

DEDICATA.

Anno Dñi 1638. Mense April. Die

Hieronymus Cardanus de rerum varietate lib: 8. cap: 40.

Filiorum autem casus & felicitates in Parentes redundare videntur, quare & cæterorum affinium. Neq; enim tàm miserabile esset aut iucundum, mori in orbitate vel florenti sobole, nisi in filijs Patris pars esset.

& paulò inferius.

Quadrupliciter igitur felices simus: fide firma futuri sæculi, sobole firma, beata vita, atq; gloriâ rerum gestarum aut sapiētiæ, hæc autem bifariam nos felices reddit, & memoriâ apud homines, & cōscientiâ cognitionis.

NVBES HIPPOCRATIS.

POst conuenientes laureæ primæ à Nobiliſſimo Filio tuo exantlatos labores, & rectarum lucubrationũ exercitia, toties in puluere Academico gloriosè inſtituta, noua ecce lætitia in domum tuam, fauſtis plena acclamationibus deſcendit, Vir doctiſſime. imitationem enim nominis tui clariſſimi certiorem, ſui honoris lucem magis eximiam, illuſtrius Pręceptorum ſolatium, promeritâ Doctoratus Philoſophiæ corona, idem natus, hoc auſpicatiſſimo obtinuit momento. Cupiebat ad eam rectitudinis amuſſim, vitæ ac ſtudiorum curſum dirigere, quam, non modo ſecuritas interna poſſeſſæ virtutis, ſed etiam publicum Vniuerſitatis noſtræ almæ teſtimonium, dignam honore atq; gloriâ luculentiſſimè teſtaretur. Occultus licèt ſit, ſenſuſq́; effu-

giat ſegniores, felix in diſciplinis honeſtiſſimis pro greſſus; ſæpeq́; pallore obductam faciem, cogitationum ſedulitate ſepultos oculos, ad deſidiæ iudicium inclinet rudiores; latere tamen ignorat, ſed vbi maturitatem attigerit iuſtam, extemplò non grauatur, faſtigia coñſcendere clariora. Difficilè multùm, auem nouellam, plumis volatui ſufficientibus contectã, alas non expandere, poteſtatem non tentare pennarum; ſic conuenienti diſciplinarum ſupellectile ornatum animũ, & varietate eruditionis exultum, eodem in gradu deliteſcere, tantò difficilius, quantó amænæ indolis, ſicut excellentiæ cupiditas, ita euolandi excelſius, prõptior facultas iudicatur. Non fallax immortalitatis ab animo cognitæ veſtigiũ eſt, à minimis publici honoris teſtimoniis ad grauiora progredi, & in iis conſiſtendo, non retro poſita contemplari, verùm in altiora, oculos, mentem, & vniuerſos conuertere conatus. Eam dũ Filius tuus, dignam bonorum ſpectaculo, exercet occupationem, quam fortunatam domui tuæ

clariſſi-

clarissimæ festiuitatem resuscitat? quam blando iucunditatis sensu, paternum pectus tuum perfundit! Quomodo spem futuræ gloriæ ampliorem, & in amicorum corde, & in spiritu ædificat Præceptorum. Non soli fraterno sanguini, Genitoris affectui, aut instituẽtium menti, sed mũdo latissimo cõmune est gaudium, dum bonæ crescunt animæ, & promerita virtutis suæ accipiunt documenta; tùm enim non de alieno, sed de suo gloriari euenit, cum iustè bonis cõcessus honor, in vniuersas mortalium conditiones, vberrimos transmittat fructus. Cur igitur ego Domui tuæ pridem deuinctus tacebo? & hanc illustrem lætitię materiam, desidiosâ linguà patiar obsolescere? cum magnis ex partibus Doctoris tui profectum ad meæ vitæ rationes, & mea studia, ad tuę humanitatis & beneficentiæ magnitudinem referri, sit necessum. Hoc tibi in negotio, cùm de laudibus Filii tui, de lætitiæ magnitudine dicendum est, non cedã Vir Clarissime ac Doctissime, in hoc solo virtus, primum nascentes viros, con-

coctis ætate & eruditione seria, fecit pares, dum eos non minus ex bonorũ ascensu præcepit gloriari. Dicã igitur non tam facundè quàm verè, de præstãtia Licẽtiati tui, & de honore, non tantùm præsenti (licèt hic, multorũ ingenii & dignitatis apex sit) sed etiam ampliore, quem ei cęlorum decreta, virtus, tuaque dignitas sunt datura. Alumni tui verba ob valetudinẽ, negotiorumque multitudinem, ieiuna & angusta, paterno affectu contempleris.

Minus pollere dexteritate ingenii Sapientũ natos, neq; exquisitam eis à naturâ rationis vim concessam, nescio quo fato? qua ratione? & Scholarũ, & fori vox confirmat V. C. Felicissimus difficultatis Philosophicæ moderator Aristoteles, omniũ rationũ succum, ad eius facultatis ruinã, deducit, quã Speusippus progressum appellat ad essentiã: est enim apud omnes sapiẽtiæ cultores in confesso, inferioris potentiæ vires infringi, & à munere suo multas in partes distrahi, si Reginæ facultatũ laborãti, à latere famulari eueniat. An quod naturæ

turę prudẽtia ita munera ſua diſſeminauerit, vt quibuſdam eruditionis habilitatem contulerit, aliis fortunarum amplitudinem pleriſq́; felicem prolis optatæ euentum; quæ inordinatè diſſipaſſe videretur, ſi Capita Sapientũ, non modo eruditione eorum, ſed etiam Filiorum Laureis coronaſſet. Repetant quæ norunt mortaliũ animi argumẽta, hinc atq; illinc opinionis vulgatę fundamenta exquirant, dicendũ tamen venit à puncto veritatis hac in ſententia aberratum eſſe, vel ſaltẽ eos omnes, quorum perſona, filiorum ſtoliditate ad probandũ armatur, populari magis aura, quã legitima ſcientiæ poſſeſſione fuiſſe ſapientes. Diuinum nomen Sapientum eſt, non ad angulum aliquem, ſed ad mundum illuſtrandum conceſſum; non ad claritatem nominis priuati, ſed ad vniuerſæ domus ſplendorem, proliſq́; in ea contentæ dignitatem. Sicut ratio fidei, ita Natura rationis captiuus eſt; illa intellectui, hæc Naturæ leges ac decreta imponit. Non enim Sapientis aliud negotium eſt, niſi ſtatuta rerũ, à ſum-

mis, me-

mis, mediis, ác infimis mundi partibus exorta, præuidendo cognoſcere. Quæ eius occupatio? pręterquam vt actionum ſuarum ea habeat ſolatia, quibus non modo ſuperſtite vita, ſed etiam poſt funera, ſubſequentem recrearet ſpectatorē. Quis viuendi modus? niſi ita viueret, vt filiorum ſpem bonam ex illius integritate præſentes, & ex filiis, Parentis ſoliditatē poſteri aduerterent. Sapientum certé Filij ſapientes. Quemadmodum enim à ſole claro non obſcuri, ſed fulgentes emanant radij: à fonte limpido, riui ſcaturiunt venuſti: à ſtipite arboris fructu præcellentis, palmites & ſurculi conſurgunt amœni; ita e ſinu Parentis docti, optimæ indolis nati, ad conſequendam ſtudiorum difficultatem repullulant aptiſſimi. Vnum ego te Virum doctiſſimum viuum exemplar accipio, quicunq; ad tui nominis Clariſſimi notitiam, ſegniori non deuenit animo, Filium tuum, ſecundæ Laureæ Philoſophiæq; Doctoratus Licentiatū videat, á radio Solem, ab vngue Leonē, à riuo fontem venabitur. Nam, quis

vnquam

vnquam adeò iniquus rerum æstimator est, qui vbi formam externaq́; eius corporis lineamenta conspexerit, generosæ animę assiduā curam fuerit expertus, virium ad tædia patienter toleranda indefessam voluntatē, non audebit recognoscere Filium Doctissimi Parentis sapientem. Licèt vero seuerum Catonis iudicium, non ea veræ dignitatis & excellentiæ autumet indicia, quæ, concinna partium corporis dispositio, frontis ac vultus maiestas, erumpentis ingenij celeritas adferunt, multa tamen & sæpè potiora vendicare sibi hæc, nemo prudentiorum non videt. si enim ratio omni Scientiarū genere exculta addit homini dignitatem, si voluntas actione virtutum magnarum exercitata, si tota mens similitudine Diuinitatis eximia, non etiam contemnendum externæ molis adiutorium, cuius obsequio, totum id quod laudabile est, cōsummatur. Nullatenus mancipium immortale (animā intelligo) ad functionē actionum veniret melius vel deterius, nisi carceris libertatem, in aliis strictiorem, remissio-

rem in alijs inueniſſet. Dotauit ijs muneribus DEVS & Natura ſucceſſorē virtutis tuę Vir Clariſs: poſtquā eo ordine thalamum eius animi diſpoſuit, vt per eum diffuſus, non ſe laqueatum, ſed velut liberum, cognoſcat. Vultus cælorum, qui eum infantem primum aeris halitum hac in luce capientem aſpexerat, talē ei inſtillauit naturam, quæ excellētiorū hominum Idea, rudiorum Magiſtra, norma mediocrium fuiſſet. Sapiētiſsimus eo pro tempore ſiderum Senatus, quàm mirificè coaluit (inferiorum Sphærarum viæ, & curſus inæqualitate, & corporum diſtantiâ variabiles, quàm artificiosè ſteterunt) augusti cardines, ac humiliora domicilia, feſtiuarum lampadum conubijs adornata, vniuerſa ſupernæ regionis machina ordinatiſsima quadā periodo circumcluſa, maligni natura Planetæ, aut impotentia debilitati, aut illuſtrati bonorum lumine, aut deniq; virtute loci lædendi amiſere poteſtatem. Enimuero non ocioſam cæli ſtellarumq; iuncturam exiſtimare debent, ij præſertim, ſagacitatē quorum,

fecundi-

fecundior ſapientiæ & æternitatis afflatus impleuit. non temere minutiorum mutatio ac varietas accidit. Quid cælorum? in quorum cõplexu viuit mundus. Inſtrumentorum animæ quibus operatur, officina, cælum eſt, ordo diuerſaq; luminum conformatio, artifex certiſsimus. Vt corpori anima, ita ſuperiorum corporum vis, rerum ſublunarium inclinationi infixa tum incremẽtis. Ab hoc igitur ordine, eã ſuxit indolem, quæ honeſtati morum idonea, ſublimis ingenij Parens & Nutrix, gloriæ deniq; ac felicitatis eſſet principium. Grauiſsimus Saturni conſpectus, & pacifici Iouis facies muneri Aphetæ ac Diſpoſitoris morum adiuncti, vti in proximis Diuinitati ſedibus reſident, ita in eum graues, modeſtos, & eleganti conuenientia gratiſsimos deduxerunt mores. Viuacitatem & ſplendorem excellentem ingenij, alienæ ſubtilitatis Author Cardanus ab aſcendente ventre Boreo pollicetur. Vniuerſum in id conſpirat cælũ, vt hæreditatis tuæ pars præcipua, clariſſimum ſolertiã, pulcherrimũ indole,

 diuiniſ-

diuiniſſimum conſtantiâ ingenium nanciſcatur. Princeps ſiderum Sol, vnà cum nepote Atlantis Mercurio, domum ingrediuntur ingenij, ac nè vacua eſſet portio orbium, promptitudini à cerebro pullulanti, aſſignata, Regina fæminarum cæleſtium Luna eandem occupauit, multum indolis bonæ, non parum vigoris profundæ ratiocinandi collatura. affectui eorum clariſſima Spicæ Virginis fax, & oculus Tauri lucidiſſimus obſecũdant. Ardens Martis ſtellula, curſum ad hoſpitium accelerauit Magiſterij, ibique ſummæ dignitatis potita loco, cardiniſq; eminẽtiſſimi euecta ſolio, totum ferè Artis obtinens Dominium, à ſe quidem Doctoratum Medicum, à loco verò Politicæ gubernationis decernit maieſtatem. Sed parum eſt tantis Naturæ Cimelijs gloriari, minus iuuat promiſſa ſperare illuſtria, niſi auguria Sphærarum, felix euentus cõmendauerit. Ne verearis Parens virtute, eruditione, doctoq; Filio clariſſime, talia vis fatorum decernit, quæ promiſſis magna, felici euentu maiora, & perſeuerantia eorum præſtantiſſima ſunt futura. Præter

vero hæc

vero hæc fortunata ſatiſq́; magnifica, addit non mediocrem ingenij poteſtatem, quod ea ratione ſitam lati circuli obtineat portionem, quæ ferè eos omnes, doctrinam quorum & dignitatem adorabat orbis, conſignauerat. Comes pharetrati Sagittarij viuax Capricornus, Aſcendentis occupauit hoſpitium, orientiſq́; non minus cæli, quam Filij in lucem venientis, benigno Ioue temperauit & recreauit aduentum. Conſiſte ocelleſ & eam nunc cæli faciem, tantam viarum, corporum, mutuorumq́; aſpectuum Harmoniam intuere : tot temporum voluo ac reuóluo ordinē, tàm diſtinctarum ætatum fluxus ac refluxus video, ijs in omnibus defuiſſe quidpiam vultui cælorum, obſtupeſco. Hoc felix momentum, & lationum ſuperiorum ſiderumq́; proportione, & nati in mundum venientis virtute. Iterare verba oculus, & cor iubet apud Lucianum Samoſatēſem expreſſa : Ω ἥλιε μή ελασησ τημερον, μή δ'ε αυριον, μήδεν εσ τριτιν ἡμέραν, vt te Duce quieſcente choragium omnium quieſcat ſiderum, mundumq́ue tantà ſu

 concin-

concinnitate exhilaret vehementer. Reddunt virtuti tuæ promeritas grates & laudes V. C. cæli, offerunt lumina lampadesque pulcherrimæ debitam affectus sui testificationem, & quia te sæpius gressus regressusq; suos trutinantem, ordini admirabili intentum, occasui inuigilantem cognouerant ac ortui, orienti quoq; Phosphoro tuo, faci nobilissimæ domus, suo præsidio ac seruitio famulantur. Magnum, Pontificum Illustrissimorum, maiorem Regum Serenissimorum, Imperatorumq; nascentium exordijs, non minorē certé Wolfouicianæ stirpi cælestis machina persoluit honorem. Sed à cælestium corporum vaticinijs, venio ad ea, quæ generosam filij tui indolem honorumq́ expectationem, non indagatione curiosa, sed viuo exemplo, & continuâ actione manifestant; à primis honestissimarum literarum rudimentis, ad exercitia altiora, maturasq́; cogitationes vltro currebat, ætatis nondum cōfirmatæ teneritudinem, morum quædam grauitas iudicantisq́; animi præcedebant indicia; labia

ad silen-

ad ſilentiū compoſita, inſignem eruditionis no-
miniſq́; futuri ſpem loquebantur. Vbi vero Prę-
ceptorum iudicio, nobiliq́; profectu Philoſophi-
cam porticum adire cæperat, quanta cum dili-
gentia, quàm diligenti conatu, difficulratum no-
dos ſoluere, altiſſimos ingenij humani apices
(quibus ſpeculatiui, conceptuum nomina aſſi-
gnant) ſuperare auſus ſit, Sympaleſtritarum ad-
miratio, Præceptorum ſolatium, amicorum de-
liciæ, candidè diffiteri non poſſunt. Flos iuuen-
tutis Academicæ dicebarur, quia florētem ætatis
feruorem, ſtudiorum conſecrauerat labori; Plan-
ta horti Academici, quia in eo, eiq́; natus, orien-
tis Cedri iaciebat fundamēta, Hæres authorita-
tis ac famæ paternæ, non enim callem à te preſ-
ſum deſeruit. Effundebat vltrà priuatæ vitæ ra-
tiones dignitatem ſtudia illius, ideoq́; ad Venera-
bilem Baccalaureorum cœtum, è iuuentutis me-
dio vocabatur, cuius eminentiam cùm ſecus ta-
citus penſitaret, tantò vberiorem copiam Vigili-
arum, conſuetæq́; lucubrationis, magis adama-
uerat,

uerat, quantò plures ac perſpicaciores, oculos, ſua in negotia ac honores præuidebat conuerti. Neſcio enim quid ſit! natura ita ſeu vitio comparatum eſſe, vt nihil gratius pupillæ humanæ ſit, quàm altiora intueri, atque in eis, fiſſuras, minimamq; feſtucam deprehendere: cúm tamen oculorum atq; iudicij officium, ſi non ad ſui cautellam, inferiorum ſaltem ſit datum cohortationem. Nec verò exiſtimabat ſatis primis Academiæ honoribus dici & eſſe laureatū, niſi hæc modeſtâ obedientiâ, labore ad virtutem non vanitatem compoſito, patientia non ficta reddere clariora ſtuduiſſet. officium igitur diligentia, difficultatem labore, multitudinē honeſtiſſimarum occupationū, ardore animi & ſtudio ſuperabat, tātopere, vt omnia ad quę ſeu generoſitate nunquā ocijs dedita, ſeu fide pręſtita Vniuerſitati tenebatur, non modo attingere, ſed etiā tranſgredi videretur. Habent ingenia generoſa à Parente rerum eam dotem, quod nullis limitibus curſum ſuum patiantur circumcludi, ſed ſemper erumpant, donec aſſiduis contemplationibus euecta,

altiſſimæ tandem Diuinitati ſeſe immerſerint. Sapientis Ciuitatem quidã mundum appellauit, at exigua equidem ei manſio, qui ſublimitate ingenij ſupra terræ cæliq; ſedem eleuatur, & omni mortalitatis inconſtantia contempta, ſoli gloriæ honori vitam nomenq; dedit.

Clauditur orbe Sophus nunquã, ſed claudit & am-
Ille orbem, cœliq; cutem ſuper ambulat altè. (*bit,*

Multa ad Filij tui nobiliſſimi laudes promptiſſima prætermitto, ne ea quæ omnium delectant conſpectum, velut ignota in chartam effundam. Illud inuoluere ſilentio non poſſum, Mathematicas diſciplinas, quas meritó Lydium lapidẽ bonorum ingeniorum dixero, feliciſſimè excoluit, eaq; in earũ amplitudine iam perluſtrauit, à quibus, multorum ætas grauior, tricis & difficultatibus deterrita abſtinuit; omnia quæ ad primum ſecundumq; motum, apparentiarum figuram & qualitatem, ſupputationum rationem, Gnomonis vmbrarumq; iucundam fabricam, foſſarum & cuniculorum artificia, terræ deniq; cæli ac vo-

cis menſuram ſpectant, dexterrimè conquiſiuit. Quanta verò facilitate, precioſiſſimũ hunc è ſcientijs omnibus theſaurum cõparauerit, non facilè iudicare. Iteranda venit ſæpè Pręceptori vox, ad craſſioris Mineruæ informandam mentẽ; At hic, verba docentis ſenſu pręcedebat ſagaci, ſermonẽ intellectione. Contorquenda frons Magiſtro toties, adinueniendę ſollicitè illuſtrandi & eloquendi formulæ; hic verô, omnia acutè, ſolerter, cõnexè, è voce Pręceptoris ſuum in animũ transferebat. Referunt Hiſtorię puerum quendã annorum nouem Pariſijs nobiliſſimè diſputaſſe, cuius raram ingenij vim deſuper veniſſe notarunt Aſtrologi, orientem enim cuſpidẽ ſocietas Mercurij & Veneris in arca Capricorni ornauit. Quidni Filius tuus nobiliſſimus meliorem puero hoc nactus mentem, qui eandem Signiferi partem, non abſimili poſſedit in loco, cuius familiaritati eum Planetarum copulauit, quem, erudita Aſtrologorum vox, beneficum maximè maximamq́ue fortunam eſſe fatetur. Maiorem prudentię ſuiq́; ingenij

ingenij facultatem his declarauit, dum nouennis diſputationis balbutiē, ad grauiores annos tranſtulit, ne ipſa oris infantilis agitatio, ſcientiarum integritati maculam impreſſiſſet. Non vana igitur cælorū auguria, non inanē honeſtiſſimi ſanguinis vim, tanto actionū ſplendore, tam exquiſita artium perceptione, tam deniq; vigili ſtudio, nobiliſſimus virtutis tuæ ſucceſſor cōprobauit. ita per ætatis titubātis flexus, ſciētiæ ac exiſtimationis promouebat incrementa, vt ſenſim cōmunem iuuenilis curſus viam relinquens, ad altiora euolauerit, atq; ad æquilibrium docentium virtute accedens, te ſolo, minor euaſerit. Tantis igitur virtutum ſuarum ornamentis, omnium oculis animiſque gratiſſimis, quantam honorum acceſſionem ſibi, domuique clariſſimæ allaturus ſit, nemo non videt. è profundis montium foſſis aurum eruitur, vt Superum templis, Magnatumq; menſis aſſideat; è humilibus concharum teſtis educuntur gemmæ, vt Regum pectora, mytraſq; Principum cohoneſtent: Putaſné? latitabunt vi-

bunt viri docti in angulis, qui auri pretium, fulgorem ac pondus gemmarum, non modo ſuperant, ſed ad comparationem ſui nequaquã admittunt. Ac licèt temporum ea ſit infelicitas pręſentium, vt Phormio Socrati, Dromo Ariſtoteli, Sanga Lyceo pręferatur, paucoſq; Sigiſmundos Mala teſtas audias, qui oſſa & cineres è Sapientum corporibus relictos, magnifica æde honorẽt. eorum tamen Magnatum non parua eſt copia, quibus ſicut exquiſitis delicijs, occupationibus literarum honeſtiſſimis recreari eſt iucundum, ita nihil ſuauius, quám bonorum ingeniorum Fautores & promotores agere benigniſſimos. Incipit Regalis domus, Aula D. IAGELLONIS ornare virtutem & eruditionem Filij tui, cùm digitũ eius aureo annulo, caput thiara Philoſophica, animum deniq; Doctoris Philoſophię veſtit dignitate. Sublime plurimum, tali gaudere ornamẽto, quod DEO præſide, Eccleſiæ poteſtate, iure Academiarum ſacroſancto, non corpori, ſed mẽtibus imponitur; ad cuius poteſtatem capiendã

diuinio-

diuiniores animæ & agmina nobilitatis concurrunt, cuius grauitatẽ, nec mutabilis fortuna mutabit, nec tẽpus edax conſumet, nec mortalitas, iugo mortalitatis ſubijciet. Philoſophia ſiquidem cuius ſpiritu ac ſanguine altiorum facultatum vita nutritur, ſui poſſeſſores non deſerit, ſed à cõuerſatione terrena ſubtractos, & nominis memoria exornat, & in æternitatis vocat Collegiũ. Verùm ad iſtius honoris eminentiam, quem ante 20. ætatis annum virtute & eruditione obtinere promeruit, ampliores non dubitandum acceſſuras, ſicut virtutis & ſapiẽtiæ, ita honoris atq; gloriæ ſunt gradus ſui, quos generoſa anima, & boni nominis dulcedine illecta, velut titulum hæreditatis venatur. Bonorum certè virorum, & literis excultorum, prętre exiſtimationis rectę lucem, nulla alia hæreditas, nulla poſſeſſio. Hic mihi latiſſimus dicendi & ſcribendi campus aperitur, Quomodo tu Vir Clariſſime, per Vniuerſitatis noſtrę florentiſſimę honores diuinę menti virtutiq; tuę conceſſos, apud exteros clarueris. Qua

ratione Cyllenios, Antonios Musas, Cassios Calpitanos; Aruncios Rubros, Artemones, & tot celeberrimos artis Medicę Professores adæquaueris ac viceris: quàm bellè & feliciter claritatē nominis Wolfouiciani, non per Vrbis modo istius amplissimę tecta, sed etiā Imperij Polonię Prouincias disseminaueris, quę omnia coarcto, ne in immēsum consurgat oratio. Italię quid frigidus valeat Septemtrio declarasti, dum in Mathematicarum disciplinarum prędectione, & rerum Medicarum cōpendijs pręstantissimis (quę Iulio Cæsari Claudino ex Capiuaccei mente decerpta methodicè formaueras) posset quid Sarmata, quid tu, primo adhuc quod maius in limine, demonstrasses. Ob hanc igitur naturę artisque pręstantiam, inter Medicorū culmina culmen eras, gratus à iuuentute PLOCIIS, FONTANIS nostris, apud exteros clarissimis Professoribus gratissimus. Cupiebat Regia Aula D. memorię Sigismundi III. virtutem tuam; expetebant Principes, Ducissę, habebant in votis Religiones pijssimę, quibus omnibus, par-

bus, partim amicabili obſequiorum pacto, partim conſilio & pręceptis nolebas deeſſe. Sed quid mirum ea in domo te Virum inſignē repertum, in qua velut nido ſuo, ſcientia ac eruditio nutriuntur. Audiuimus Samuelem WOLF Poetam Laureatum Auum tuorū, Regi Polonię glorioſiſſimo Stephano chariſſimum, cuius expeditionē, contra Moſchi fœdifragi audaciam, eleganti carmine, victoriſq; tanti nomine non indigno, deſcripſit: Nobilitati Polonæ nunquam ingratus, ſemper amiciſſimus, ſuâ operâ, votis eius, ſeu Pæana lætum, ſeu leſſos occinendo triſtes paratus. Viris nobiliſſimis è Proſapia CZERNI oriundis Epitaphia poſuit doctiſſima, quæ in Eccleſia, Vrbis (iure Tribunalitio celeberrimę) Lublinum dictę, leguntur. Quid Rollius tuę quoque pars Domus, Pontificij Iuris Doctor integerrimus ac pietatis amantiſſimus, cuius memoriā, non modo recordatio bonorum refricat, ſed etiam beneficiū Eccleſię Corporis Chriſti liberaliter collatum, deprædicat. Hęc ampliſſima tua tuorūque me-

quemerita, hęc dignitas, Quid aliud est? nisi altioris glorię, in caput Filij tui descendentis ostium, maiores ille titulos ac honores, velut masticatum per te cibum facilius deglutiet, à Philosophicis occupationibus auocatus, in excellenti Medicorum choro stabit gloriosus, circulisque Eudoxi munitus, ea quę medentium succus ac medulla sunt, attinget, custodiet candelabrum glorię è manibus tuis acceptum, lucemque domus suę, per Magnificas Senatorum Aulas, Religiosorum claustra deuota, & illustrissima diffundet palatia; inter Apis Ægiptiorum Regis prolem, illud aucupari studebit solium, quo inter Pictores Apelles, Magos Hostatus, Poëtas Ennius, Oratores Tullius gloriātur. tali conatui, nec eius ingenium, nec tua eruditio, non bonorum affectus, non denique cęli ipsi resistunt. Neque credibile potest esse, bonam indolem, vltró currentem, à terrę Sphærarumque superiorum impedimentis liberam, altissimis quę desiderat carituram. Ancipiti non est opus animo, vbi in partem glorio-

glorioſę famę, vniuerſa inclinantur. Neque te Virum doctiſſimum, dubia quępiam cogitatio excruciet, dabit tempus, quę virtus iubet, boni vouent. Exulta potius lætiſſimus tantis gaudijs, & antehac inuſitatis cumulatus. Multa ego tua in domo clariſſimâ video, quibus iuſtè ad feſtiuã iucunditatẽ moueri poſſis, ſed hoc maximũ, quod Filios habeas ſapientes. Id deſiderabant Mundi Rectores, Familiæ Illuſtriſſimæ, tu poſſides; quę æternitatis ductũ perficiunt, nec ſepulchris gloriam vnà cum corpore intrudi permittunt, tu tenes. Exulta iterum, Filiorumque doctorum recreatus conſpectu beatum te ac felicem recognoſce. Diſſipantur bona, in alienas manus labor ſudorq́ abit paternus, atteritur ignominioſè comparatum decus, ſi deſit Hæres: remanent omnia integra cum adeſt; ſi bonus, augentur. Eius indolis genuiſti filios, qui non ad poſſeſſionem facultatum, ſed tuæ conſeruationem gloriæ modos attentant, quibus nihil dulcius honore, nihil virtute iucundius. Arripiunt iter pa-


 ternum

ternum animosè, & florentissimis coronati lauris, nubē Hippocratico imponunt honori, eumq; suæ domus claritate supergressi, offuscant; Quidni excedunt; qui possessionem Medicā in te Patre suo, non stoliditate ad exēplar natorū Hippocratis, sed eruditione, honorumq; luce ac spe adornant. Par igitur Æsculapio ob Podalirij & Machaonis scientiam, felicior Hippocrate cùm sis, non Sotionis docentis moueare præceptis, sed locum lætitiæ da, iuraq; Patris in dignitate Filij exultantis, adimple festiuus. Id tibi Viri Clarissimi, amici nobilissimi, affines celeberrimi comprecantur gratulantur. Ego quoque ad eorum voces & suspiria, dictionem adiungo meam, eaq; effundo vota, quibus grauiora, nec tu optare, nec ego precari valemus, vt scilicet longis ætatibus, fatorum clemētiâ superstes, & hac nobilissimi Filij delecteris dignitate, & ampliores videas fortunatus.

DEO O. M.

Vniuersæ cælorum Curiæ

GLORIA & GRATIA.



CRACOVIÆ,

In Officina Matthiæ Andreouiensis, Anno Domini 1638.

fi. – 3

